

fragilis breuitatem hominumque labilem memoriam que rationabiliter acta sunt processu temporis frequenter in dubium reuocantur, nisi in scriptis redacta litterarum. viuacitate ac testimonio fuerint perhennata. Nos harum serie ad pupplicam tam posterorum quam presencium proferimus nocionem. Quod nos terram nouem solidorum in ekelang in ærlæsokn abýring que ad coronam pertinebat cum agris pratis siluis nemoribus pascuis piscariis & quibuslibet suis attinencijs pro iusto precio videlicet viginti marchis vsualis monete sancte domui hospitalis beati iohannis baptiste in æskilstunum dimisimus perpetuo posidendam. Transferendo in eiusdem domus fratres dominium & plenam proprietatem dictum predium regendi donandi vendendi obligandi siue quocumque modo voluerint ordinandi pro ipsorum libito voluntatis sublata nobis & nostris successoribus omni facultate sepredictum predium aliquo ingenio repetendi Quia pro tanto curabimus omnimode corone plenam satisfactionem fieri & condignam. Quicumque igitur hanc solutionem siue commutationem jnfringere vel reuocare attemptauerit partem cum dathan & abýron se nouerit habiturum. ad huius igitur rei euidenciam pleniorum presentes litteras plenius auctorauimus per appensionem sigilli nostri & munimen. Datum stokholmis anno domini. M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.LXX<sup>o</sup>.VIII<sup>o</sup> sabbato, diem beati iohannis baptiste proximo subsequenti.

Sigillet bortfallet; gula och röda silkestrådar qvar.

648.

1278 d. 9 Jul.

Calmar.

Dekan. BRYNOLFS gåfvobref på jord i Lagmanstorp i Lungs Socken och en qvarn i Bardathorp till Linköpings Domkyrka.

B. 3: 100.

Uniuersis presentes litteras visuris seu auditoris Brunnulphus decanus lincopensis Salutem in domino sempiternam Vniuersitati vestre constare volumus presentibus Nos lagmazthorp aliud quod est silue vicinius situm in parrochia lung Et molendinum quod est Bardathorp Ecclesie lincopensi contulisse nobis a predilecto consanguineo nostro domino Benedicto Illustris regis swecie data que tali condicione conferimus ut decanatu j nichilominus ecclesie eiusdem attineant perpetuo permansura In cuius rei testimonium presentes Sigillo venerabilis patris Dominij Jacobi Archielectj vpsalensis & dominij Henricj lincopensis & nostro & aliorum magnatum regnj volumus Sigillarj Datum kalmarnie Anno dominij M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.LXX<sup>o</sup>.VIII<sup>o</sup>. VII<sup>o</sup> Jdus Julij.